

eamque causam quendam praescribit ordinem sanandi animi, illiusque tenendi facultatem dat viuens Dei potentia. Quibus sumptis omnibus, conficitur illa complexio, nolle Deum hominis, quamuis conscelerati, perniciem, sed felicitatem vehementer continenterque exoptare. Quod quo certius Deus tibi persuadeat, iurat per seipsum, et quia maiorem se videt nullum, se suamque vitam semper efficacem grauius interponit, ne dubites, quin te a morte in vitam reuocare sciat, velit, possit. Adeo ius iurandum, per vitam Dei conceptum, summam quandam omnium formularum colligit, quibus nos obstringere solemnem religione consueuimus

## §. X

Consecutio-  
nes Polemi-  
cae

RESTAT huic commentationi locus vel maxime necessarius, vt, quanta inde vtilitas permanet ad errores grauissimos conuincendos, vitaeque rationem sapienter instituendam, tantum modo perstringam. Ita enim cum omnis veritas, tum decreta de vita Dei, comparata sunt, vt confirmata illa atque in luce posita, possint quam plurimos ab erroribus, quibus sunt impliciti, in viam reducere. Quod vt sit in promptu, quibusdam exemplis comprobabo

I) Iam pridem aeterna materia, omnis naturae parens, in portentis, non differentium philosophorum, sed somniantium, habita fuit. Alii hanc pinguem molem et concretam vita sensuque priuant, errore ducti, quem iam philosophis Graecorum antiquissimis, ac theologis turpitudini ducit ARISTOTELES.<sup>33</sup> At enim repugnantia loqui eius defensores, cuius patet, qui velit illam rationis trutina examinare. Materiae suae vitam adimunt. Nihil tamen fecius procreasse putant naturas, maxime actuosas, molem illam inertem omnique sensu carentem.

Egre-

33) *Metaphys. Lib. I. Cap. III*